



§. 3.

Perspecta devotionis vanitate, jam dispiciendum est, quibus rationibus splendidum illud perversae mentis humanae commentum oppugnetur ac penitus convellatur. Ea est partium, quibus cultus summi Numinis religiosus absoluitur, omnium ratio, ut aut a natura, aut mentis divinae interpretibus in scriptis sacris imperatae sint. Neutrum tamen causae suae praesidium habet devotio. Ratio enim studiis et artibus emendata, non solum eam plane ignorat, verum etiam inutilem esse pronunciat. Tantum abest ut victimis cuiuscunque generis sana ratio virtutem eluendi crimina, ac placandi Numen iratum tribuat, ut Deum potius haud victimis, sed sola voventium innocentia delictari judicet, *ὁ γὰρ πολυσαρκία καὶ πιότητι ζώων χάρις ὁ Θεός, ἀλλ' ἀνυπαίτω τὰ ἐυξαμένους διαδέσει.* In sacris literis neque volumam neque vestigium legis de devotione deprehendi, constat inter omnes. Ex altera vero parte sanctiores tabulae exempla continent, quibus in aprico positum est, devotionem, etiamsi a veri Numinis cultoribus interdum tentata sit, Deo non modo non probatam, sed ab eo quovis modo impeditam atque averSAM esse; de quibus deinceps plura. Nec destituitur sacri codicis suffragiis sententia, scelerato hominis sanguine Deum haud placari, neque aliorum salutem eo aut stabiliri aut restitui posse. Negat enim divinorum carminum auctor, singulos devotione sua singulis utilitatem afferre, quod pretium pro anima hominis pendendum tantum sit, quantum ab exiguis humanae naturae viribus repeti possit nunquam Ps. XLIX. 8. 9. Magnopere itaque falluntur, qui sibi persuadent, in unius viri, vel singulorum sanguine atque anima tantam inesse virtutem, ut totius universitatis salutem efficere aut tueri valeat. Haud denique